



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666


Qvæstio CX. Vtrum matrimonium sit Sacramentum nouæ legis institutum
à Christo?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

Corint. 9. 5. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & frater Domini, & Cephas?* hoc, inquam, Sancti PP. alii- que interpretes communi consensu accipiunt de piis mulieribus sequacibus Apostolorum, vt expensis, aliis- que suis ministerijs subuenirent indigentia Aposto- rum, per populos adhuc infideles, nec subministrato- ros, quæ sufficerent alenda vitæ, & Euangelio com- modè prædicando absque diuersione prouidendi sibi necessaria. Quo ferè pacto Christum etiam sequeban- tur piæ aliquæ mulieres, vt apparet ex 8. Luca. Id quod, etiam insinuat ipse Apostolus, dùm dicit soro- rem mulierem, & non vxorem, aut etiam mulierem vtumque. Canon ille Apostolorum solum præscri- bit, vt Episcopus, qui ante Episcopatum habuit vxor- em, non desinat postea, prætextu Religionis, & no- ui status astringentis specialiter ad diuina, prouidere illi sufficienter de rebus ad vitam necessarijs similiter intentio Con. Gangrensis dirigitur solum aduersus hæ- reticos, dicentes, matrimonium ex genere suo esse malum, ideoque non esse admittendos ad ordines sac- ros, eorumque ministeria, qui aliquando fuissent vxorati, quantumvis postea continentes essent, sicut repelluntur à sacris Ordinibus homicidæ, tametsi pos- tea poenitentiam agant. Hanc esse intentionem eius Concilij, quæ nihil habet commune cum controuer- sia præsentis, conuincunt aperte Valentia, Coninch. & alij ex versione Dionysij exigui apud Surium to. 1. Concil. Apparet igitur omnia huius, & præcedentis obiectionis perperam adduci aduersus antiquam, & laudabilem consuetudinem, & legem Ecclesiæ.

Ad 4. Si frequentia peccatorum aduersus leges sufficeret ad probandam iniquitatem earum, & ad easdem abrogandas, decalogus imprimis esset repro- bandus, ipsumque lumen rationis, quod Deus in- didit animæ esset malè institutum, contra quæ vide- licet frequentius, & deterius peccatur. Quod ad iu- uenum promouendorum qualitatem attinet, Eccle- sia prouidit optimis legibus, vt ij soli promoueant- tur, de quorum probitate, & spe prudenti bonæ fru- gis prius legitime constiterit, vt liquet inter alia ex Conc. Trid. sess. 23. in decr. de reformat. à cap. 11. De circumstantia diuitiarum dicitur paulo post. Circa ex- perientiam incommodorum, & scandalorum affirmari imprimis, verè, ac sincerè potest cum Valentia plu- res esse sacris ordinibus initiatos, qui calibatam immaculatè, ac laudabiliter obseruent, quam coniugatos, quorum coniugium sit honorabile in om- nibus, vt nuper dicebatur ex Apostolo quique leg- es conjugales obseruent exactè. Deinde in omni hominum genere, omnibusque eorum statibus plu- res sunt defectus, quam perfecti, & iusti, quia Deus pluris meritis facit paucorum iustitiam, & sanctita- tem, quam impeditionem iniquitatis, ac peruersio- nis plurimorum de qua comparatione, & de iusta eo- rum extremorum estimatione, dictum est ex professo quæst. 35. de Deo. Quapropter numerus qualiscun- que, & vtunque exigui Clericorum exemplarium, & immaculorum, præponderat bonitate sua cumu- lo vtunque magno, eorum qui non satisfaciunt mu- neri, ac status sui sublimitati demum horrida illa nar- ratio Vdalrici est fabulosa, vt aperte conuincit Card. Bellar. lib. 1. de Clericis cap. 22. atque, vt vera esset, id accidisset semel, vti accidit semel occisio sancto- rum puerorum Innocentium quæ non suffecit, vt reprobaretur institutio Principatus, idemque dicitur de alijs eiusmodi, quorum exempla sunt quia in histo- rijs. Quod caput est; nihil simile, aut aliqua ex parte proportionale contigit prius aut postea occasione cæ- libatus factorum hominum, atque instituta, & leges laudantur, & reprobantur pro qualitate exitus perma- nenter, atque vt plurimum indè prouenientis.

Ad 5. Inter diuitias, & vxorem est hoc inter alia discrimen, quodd diuitiæ possunt, ac debent contem- ni, atque cum aliis communicari, vxor nec debet, nec potest. Vnde habens vxorem, necessariò est di- uisus, & cogitare debet, quomodo placeat vxori, estque indispensabiliter sollicitus, quæ sunt mundi, vt dicebatur suprà ex Apostolo. Nihil autem eius- modi accidit necessariò, & conuenit, vt fiat oppo- situm circa diuitias, vti à pluribus Ecclesiasticis factum est Olim, hodieque sit, maxima cum laude, & cum pu- blica vtilitate, haud exigua. Nulla igitur est paritas à permissione diuitiarum, ad permissionem matrimo- nij, actuumque coniugalium. Longum porrò esset dicere quibus rationibus honestè acceptet Ecclesia ingentes diuitias, quas ipsi erogat pietas Fidelium, earumque administrationem cum moderato propor- tionaliter vsu committat ministris suis. Hoc vnum est terrenorum possessionem non contrariari diuino cul- tui ad quem Clerici deputantur sed nimiam eorum soli- citudinem, quia solus affectus in crimine est, vt dicit ex Gregorio Magno, D. Thomas quæst. 40. artic. 3. Dein- de habentibus diuitias suppetunt plura nihilominus remedia pro incolumitate puritatis, & pro conti- nenda, ac subigenda effrænitæ appetitus, inter quæ vnum est, vt illas habeant, tanquam non habentes, vt dicit Apostolus, & dictum est licere, ac expedire diuerso longè modo, ac liceat, & expediat respectu vxoris. Quod attexitur de Diaconissis, duplici de cau- sa non conuincit. Quia videlicet sexus fæmineus est debiliior, & rapitur violentius, quauis occasione, & proxima possibilitate malorum, idemque est minus idoneus pro administratione, & vsu diuitiarum ad pu- blicam vtilitatem, & ædificationem, quæ multiplici- ter indè ab idoneis Clericis promouentur.



INCIPIUNT QVÆSTIONES de Sacramento Matrimonij.

QVÆSTIO CX.

*Vtrum Matrimonium sit Sacramentum Nouæ Le-
gis institutum à Christo.*



IN ET VR non esse. 1. Quia idem non po- test bis institui, certè non conuenienter su- peradditur secunda institutio, post institu- tionem Diuinam. Matrimonium autem fuit institutum à Deo in Principio mundi, vt patet ex 1. Genesis, vbi directis prius vniuersaliter ad omnia ani- malia illis verbis ver. 22. *Crescite, & multiplicami- ni;* subiungitur deinde benedictio Dei directæ deter- minatè ad virum, & fæminam cum præcepto matri- monij, & vsus eius, vt patet ex verbis illis ver. 28. *Masculum, & fæminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini.* Ergò matrimo- nium non est sacramentum nouæ legis institutum à Christo.

2. Matrimonium Adami, & Euzæ, & quorumuis aliorum est sacramentum significatiuum coniunctio- nis inter Christum, & Ecclesiam, vt apparet ex longa, & exacta comparatione, quam instituit inter vtrum- que Apostolus ad Ephes. 5. à ver. 22. absoluitque ver. 32. dicens: *Sacramentum hoc magnum est. Ego au- tem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ergò matrimonium non cœpit habere rationem sacramenti ex institutione Christi in lege noua.

3. De

3. De ratione sacramenti nouæ legis est, vt efficiat, quod significat, iuxta dicta suprà in communi. Matrimonium autem significat coniunctionem Christi, tanquam sponsi, cum Ecclesia, tanquam sponsa, vt modo dicebatur, quam tamen coniunctionem idem matrimonium nequaquam efficit; vt per se patet, Ergò non est sacramentum nouæ legis.

4. Sacramenta nouæ legis omnia instituta sunt ratione peccati originalis, atque in remedium malorum ex eo prouenientium, vt dictum est suprà in communi qu. 11. Matrimonium autem non est institutum ratione peccati originalis, siquidem institutum fuit pro statu innocentie, vt liquet ex loco Genesis nuper producto. Multo verò minus dici potest institutum in remedium. Quia non est remedium infirmitatis, vnde infirmitas ipsa augetur, ac intenditur. Concupiscentia autem, quæ est præcipua infirmitas proueniens ex originali, augetur potius, ac intenditur per actus coniugales, ad quos matrimonium ordinatur ex sua natura. *Insatiabilis namque est concupiscentie appetitus, & per operationem congruam augetur*, vt dicitur 5. Ethic. sub finem. Ergò matrimonium non est sacramentum nouæ legis.

5. Vnum sacramentum non pugnat cum sacramento alio, cum omnia sacramenta habeant rationem remedij respectu malorum prouenientium ex peccato originali quæ sunt omnibus communia. Matrimonium autem pugnat cum sacramento Ordinis, vt dictum est in quæstione præcedenti. Ergò matrimonium non est sacramentum.

6. Omnia sacramenta nouæ legis sunt configuratiua cæterorum hominum cum Christo crucifixo, ex cuius passione, & Cruce efficaciam habent. Matrimonium autem non est configuratiuum coniugatorum cum Christo, & eius Cruce, ac Passione, siquidem est ordinatum ad actum delectabilem, quo etiam vltimò completur, seu consummat, vt dicitur capitulo *Quanto* de diuortijs. Ergò matrimonium non est sacramentum institutum à Christo. Accedit actum coniugalem esse sordidum, & inquinatum iuxta illud Apocalyp.

14. 4. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt.* Idemque colligitur ex Epistola Siricij Papæ ad Hemerium Tarracensem, in qua dicitur Sacerdotes ea de causa debere abstinere à nuptijs. Sacramentum autem nequit esse ordinatum ad actum sordidum, & inquinatum.

7. Matrimonium est quid permanens, & quatenus permanens est, significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ videlicet est permanens, sicut coniunctio matrimonialis inter virum, & uxorem. Nullum autem sacramentum, præter Eucharistiam, est permanens, sed omnia cætera consistunt in vfu, eoque transeunte, transeunt, vt dictum est suprà, ergò matrimonium non est sacramentum.

Artic. 1. Responderetur. De nullo sacramento plura, de nullo pauciora scripta sunt, quam de sacramento matrimonij. Cuius rei causa est, quia matrimonium habet rationem contractus simul, & sacramenti. Inter contractus primum locum tener, inter sacramenta infimum. Indè locuples dicendi materia in præsentia ad est volentibus, vti plerique volunt, agere de ratione contractus, congestis eò omnibus, aut ferè, quæ pertinent ad tractationem de contractibus in communi, iisque omnibus exhaustis, quæ circa hunc particularem contractum pertinent ad forum externum, tum Ecclesiasticum, tum sæculare; idque tum iuxta ius antiquum, tum iuxta ius nouum, & rursus iuxta vtrumque, tum vniuersale, tum particulare; sub insertis demum specialibus, & quasi indiuidualibus casibus conscientie indè dependentibus. Quæ omnia procedunt in immensam molem. Tenuis è conuerso suppetit dicendi, exponendique materia volenti considerare solam ratio-

nem sacramenti eiusque naturam, & proprietates. Mihi sola hæc posterior consideratio placet, vtpotè perti-nens vnice ad Theologum, quia Theologus est. Nec enim magis pertinet ad Theologicam considerationem sacramenti matrimonij, dispositio de contractu cum præambulis, & appendicibus suis, quam pertineat ad Theologicam considerationem sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Eucharistie, &c. disquisitio de aqua, oleo, balsamo, pane, vino, &c. cum principiis, proprietatibus, & effectibus eorum. Quia sicut hæc in iis sacramentis se habent materialiter, ita contractus se habet materialiter in sacramento matrimonij; nisi quod cognitio huius contractus, & eorum omnium, quæ ad ipsum pertinent, parit plurimas vtilitates pro directione plurimarum operationum humanarum, idè, quæ laudabilem, valdeque vtilem tradidere doctrinam, qui in hanc partem indefesso conatu incubuere, vti fecit Thomas imprimis Sanchius; atque nihil eiusmodi prouenire potest ex materiis aliorum sacramentorum diligentius, ac disquisitiis expensis. Verum tota ea specialis vtilitas est, vt dixi, extra metas considerationis Theologicæ circa istud sacramentum, eiusdemque vtilitatis percipiendæ alius erit nobis, Deo benè iuuante, opportunior locus. Agendum itaque est directè de sola ratione sacramenti, dimissis interim, & non nisi indirectè, ac obiter attractis sponsalibus, quæ sunt purus contractus, necnon ratione contractus, inclusa realiter in sacramento, quantum præcisè opus erit, vt adæquatè manifestetur formalis conceptus sacramenti.

Art. 2. Obseruandum initio est matrimonium dupliciter vfurpari, actiue scilicet, & passiuè, ad eum ferè modum, quo dictum est de Ordine q. 102. art. 2. Matrimonium actiue sumptum est contractus, quo vir, & femina ius sui sibi inuicem conferunt, siue est mutua collatio eius iuris. Sumptum verò passiuè est ius ipsum, de indè resultans in contrahentibus, & vnicuique eorum inhaerens intrinsecè; diciturque communiter vinculum, & status matrimonialis. Matrimonium, actiue sumptum, seu contractus matrimonij dicitur ab Hugone Victorino lib. 2. de sacram. par. 10. c. 4. & aliis communiter, duarum idonearum personarum legitimis consensu. Matrimonium verò passiuè sumptum, seu vinculum, & status matrimonialis definitur à Iuristis L. 2. ff. de Ritu nuptiarum, & in 4. decret. tit. de sponsalibus in princ. à magistro dist. 27. sub initium à D. Thoma q. 44. art. 3. & ab aliis communiter: *Maritalis coniunctio viri, & mulieris inter legitimas personas indiuiduam vitam consuetudinem retinens.* Dicitur verò sub vtroque sensu matrimonium potius, quam patrimonium, quia in procreatione filiorum, ad quam prædictus, tam contractus, quam vinculum ordinatur, certius cognoscitur mater prolis, quam pater, atque à notiori solet fieri nominatio.

Artic. 3. Obseruandum rursus est sacramentum similiter, cum multipliciter absolute significet, vt notatum est suprà in communi quæst. 1. duobus modis in præsentia vfurpari. Primò pro signo symbolico purè speculatiuo, siue pro re significante rem aliam, cum aliqua inter vtramque analogia, & similitudine proportionis, quin illam efficiat. Secundò pro signo similiter symbolico, sed practico efficiente rem significatam. Vtrobique autem res significata debet esse aliquid sacrum, & spirituale. Alioquin enim signum, seu symbolum, sacramenti rationem nequaquam habebit. Indistinctio, seu confusio istiusmodi diuersarum significationum in vobis, matrimonium, sacramentum, plures apud aliquos parit æquiuationes in præsentia, plurimum nocentes conspiciunt, & sinceritati doctrinæ. Illis autem obseruatis, atque legitimè distinctis, facillè est determinare, quæ spectant ad quæstionem propositam.

Artic. 4. Certum namque imprimis est, matrimonium passiuè sumptum pro vinculo, & statu matrimoniali esse sacramentum sumptum pro signo symbolico speculatio, seu non efficiente, quod significat, non tamen esse sacramentum sumptum pro signo symbolico practico, seu continente in se, atque efficiente, quod significat. Nempè vinculum matrimoniale significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, tanquam sponsi cum sponsa, iuxta illud ad Ephes. 5. 22. *Sacramentum hoc (nempè matrimonium) magnum est. Ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Patet autem vinculum matrimoniale, non esse contentiuum, & causatiuum vnionis inter Christum, & Ecclesiam. Quapropter de ista ratione sacramenti in præsentia non agitur directè, & ex professo, vt liquet ex scopo omnibus istis nostris questionibus de sacramentis præfixo initio qu. 1. Et confirmatur, quia prædictum vinculum, & status matrimonialis, est quid permanens, cum sacramenta, de quibus agitur in præsentia, omnia præter Eucharistiam consistant in vsu, eoque transiente transiant.

Art. 5. Certum rursus est matrimonium actiuè sumptum pro ipso contractu, seu mutuo consensu, quatenus sensibilibus manifestato, esse sacramentum sumptum pro signo symbolico causatiuo gratiæ. Definitur hoc clarè à Concil. Florent. in decreto Eugenij, §. *noua legis*, & à Trid. sess. 7. can. 1. & 6. Vtrobique enim dicitur matrimonium esse vnum ex septem nouæ legis sacramentis institutis à Christo; atque omnia nouæ legis sacramenta esse contentiua, & causatiua gratiæ ex institutione Christi. Idem repetit clarissimè sess. 24. sub initium, §. *cum igitur*, & can. 1. Quas definitiones intelligendas esse de matrimonio actiuè sumpto, patet ex ratione nuper indicata de sacramentis consistentibus in vsu, dempto vno sacramento Eucharistiæ; nec seclusa ratione sacramenti causatiui gratiæ à matrimonio passiuè sumpto, vti nuper seclusa est, superest aliud, quam contractus ipse actualis, cui ea ratio sacramenti accommodetur sub nomine matrimonij. Vnde matrimonium in hac potissimum posteriore significatione vsurpabitur in discursu, & ab aliis etiam vsurpatur communiter in præsentia. Cum igitur ex definitionibus Florentini, & Tridentini modo indicatis, scilicetque supra repetitis, certum sit omnia nouæ legis sacramenta causatiua gratiæ, instituta fuisse à Christo Domino dubitari non potest; hoc etiam sacramentum, quatenus est causatiuum gratiæ, fuisse ab eodem institutum, vt dicitur in dicto can. 1. Tridentini. Quando autem institutio hæc facta sit, incertum omnino est. Aliqui putant, factam eam fuisse, quando matrimonium renouatum est à Christo ad primæuam vnitatem, & insolubilitatem, reprobatis polygamia, & libello repudiij, vt refertur Math. 19. Alij volunt Christum instituisse hoc sacramentum, cum interfuit nuptiis celebratis in Cana Galilee. Neutrum tamen dicitur cum sufficienti fundamento, quia vtrumque illud est distinctum, & separabile ab institutione, & eleuatione contractus matrimonij, ad rationem sacramenti. Crediderim tamen ex vtraque ea narratione Evangelica rectè colligi institutionem huius sacramenti, vel in alterutro ex illis sequenti factam esse, vel supponi factam à Christo ante vtrumque. Credibile namque non est Christum Dominum, vel adfuturum fuisse nuptiis purè profanis, ac naturalibus, easque illustratum fuisse insigni miraculo, ad celebritatem, & commendationem ipsarum plurimum conferente; vel inductum fuisse nouum onus vnitatis, & insolubilitatis, absque nouo adiutorio gratiæ ad illud subeundum, adiuncto contractui, vel tunc, vel antea. Igitur institutio huius sacramenti, vel vtrouque, supponitur iam antea facta à Christo Domino, vel facta est in alterutro ex illis tempore. Illud est improbabile, quod ex Guidone refert Basilus Pontius,

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

institutionem huius sacramenti factam esse in instanti incarnationis Verbi Diuini, quam idem sacramentum significat. Quia institutio sacramenti fieri non potest absque significatione exteriori voluntatis, quia instituitur, vt dictum est in communi quæst. 9. Nulla verò eiusmodi significatio affuit in instanti incarnationis.

Art. 6. Facilius, & clarius est ratio convenientiæ, vt institueretur hoc sacramentum, vtque contractui matrimoniali adiungeretur vis inductiua gratiæ peculiari, qua specialiter iuuentur coniuges ad perferenda laudabiliter, & cum Christiana perfectione onera matrimonij, & obligationes coniugum, tum mutuas, tum respectu prolis. Tenentur enim ad mutuam fidem aduersus adulterium, ad mutuam dilectionem perpetuam, aduersus rixas, & iurgia, ad sobrietatem, & modestiam, aduersus impetum intemperantiæ, & immoderantiæ; ac demum ad conuenientem prolis educationem, vt euadat dignus ciuis, & filius Reipublicæ, & Ecclesiæ. Quæ quidem omnia sunt ex se difficilia, & plurimum interest Reipublicæ Christianæ, vt ritè, ac perfectè exhibeantur, atque obligatio ad ea omnia est stabilis, & perpétua, atque adeo contractui matrimoniali inest peculiaris indigentia gratiæ, quam, nec præsupponit ex sua natura, nec infert per se ex opere operato. Eadem igitur ratione, qua oportuit, vt institueretur sacramentum Confirmationis, Extremæ Vnctionis, & Ordinis, conueniens etiam fuit, vt institueretur sacramentum Matrimonij. Ex ista conuenientia ratione deduci potest legitima huius sacramenti definitio; nempè matrimonium esse *Sacramentum collatiuum gratiæ specialis, ad mutuum coniugatorum inuicem spirituale, tum pro fine cuiusque vltimò, tum pro vita sociali, & augmento Reipublicæ, atque Ecclesiæ per dignos ciues, ac filios.*

Ad 1. Vt sit inconueniens, idem secundum idem, bis institui, inconueniens tamen certè non est, vt idem secundum diuersa, & relatè ad diuersos fines, atque cum dispari virtute, bis instituat. Prima autem institutio matrimonij, seu quasi institutio ad solum respectu officium naturæ, necessarium pro conseruatione generis humani. Posterior autem institutio facta à Christo Domino, respicit gratiam necessariam in remedium peccati originalis reddentis specialiter difficilem conuenientem vsu matrimonij, vt obseruat D. Thomas qu. 42. art. 1.

Ad 2. Inerat quidem matrimonio ante institutionem Christi ratio sacramenti latè sumpti, pro signo speculatio inter Christum, & Ecclesiam, sed post eius institutionem reddita est perfectior eadem ratio sacramenti latè sumpti, adiuncta maiori insolubilitate matrimonij, qua proinde magis correspondet vnioni penitus insolubili inter Christum, & Ecclesiam, & quod caput est, superaddita est vis inductiua gratiæ, ac proinde, & sacramenti propriè, ac strictè sumpti; atque sub hac significatione vsurpatur determinatè in præsentia.

Ad 3. Non est de ratione sacramenti nouæ legis, vt contineat in se, atque efficiat, quidquid significat, sed vt significet, & simul contineat in se gratiam, eamque inducat. Matrimonium autem significat, & simul continet in se gratiam, eamque inducit, licet non contineat in se, nec inducat vnionem Christi cum Ecclesia, quam solum significat.

Ad 4. Sacramenta nouæ legis instituta sunt ratione peccati originalis, & in remedium eiusdem, præcisè quatenus sacramenta sunt propriè, & strictè, seu causatiua gratiæ. Matrimonium autem non fuit institutum sub hoc conceptu pro statu innocentie, vt dictum est. A Christo verò institutum est in remedium, quatenus, adiunxit illi virtutem collatiua gratiæ, qua cohiberi possit multiplex deordinatio proueniens

Y y

ueniens ex peccato originali. Vis enim concupiscentiæ, aucta per peccatum originale minuitur imprimis secundum se per augmentum gratiæ. Quo namque magis perficitur, & validitas præmunitur pars superior, eo pars inferior debilitatur magis, quoad impetus suos inordinatos. Deinde ratione eiusdem gratiæ actus coniugaliter exercetur cum debitis circumstantiis, & assequitur honestatem, qua careret non iuvante eatenus speciali gratia. Vnde ulterius fit, ut repetitis actibus coniugalibus non recrudescat magis vis concupiscentiæ, sed magis reprimatur, quoad motus, & actus, atque corruptelas illecebrosas, ac inhonestas. Quia ex actibus honestis, & convenienter circumstantionatis resultat habitus conferens facilitatem ad actus similes quoad substantiam, & modum ipsorum, & consequenter impediens actus oppositæ conditionis, atque inordinationis. Hac de causa dicit Apostolus 1. ad Corinth. 7. 9. *Melius est nubere, quam uri*, intelligens nomine vitionis inhonestos concupiscentiæ actus, qui perducunt ad ignem æternum. Philosophus autem agit de augmento concupiscentiæ per operationem ipsius, quoad substantiam tantum, & præcindit à modo operis, quo gratia sacramentalis minime præcindit.

Ad 5. Eiusdem mali possunt plura esse remedia inuicem incompensabilia, & quorum aliud sit alio perfectius, ac efficacius. Eiusmodi autem remedia sunt respectu concupiscentiæ redundantis ex peccato originali, calibatus annexus ordinibus sacris, & matrimonium. Quia utrumque, licet diuersimodè adhibet aliquod remedium aduersus concupiscentiam. Sed quod adhibetur à calibatu est efficacius, & perfectius, quatenus impedit actus concupiscentiæ quoad substantiam, & modum; cum matrimonium solum inducat modum convenientem. Vnde sacramentum Ordinis est aliquatenus impossibile cum sacramento matrimonij, non præcisè quatenus utrumque est sacramentum, sed quatenus ordini est annexus de facto calibatus. In quo nullum est inconueniens, sicut neque in eo, quod quis voueat castitatem perfectam. Imò est maximè conueniens, ut sint diuersi status inuicem impossibiles, & inæqualis perfectionis, ordinati ad vitanda mala prouenientia ex peccato originali, ut suppetat remedium aliquod, licet minus perfectum, absolute tamen sufficiens, non audenti inire viam maioris, magisque arduæ perfectionis, nec satis benè disposito ex se, vel ex habitu, ut eam aggrediatur.

Ad 6. Non omnia sacramenta sunt eodem modo configuratiua suscipientis cum Christo, atque sacramentum matrimonij habet etiam peculiarem, sibi quæ proprium configurandi. Quia licet nullam in se contineat assimilationem cum Christo patiente, quoad poenalitatem passionis; continet tamen assimilationem quoad charitatem vnitivam Christi cum Ecclesia, ex qua charitate passus est, ut illam coniungeret sibi in sponsam; atque istam coniunctionem representat quasi in fieri contractus matrimonij, & sacramentum strictè sumptum realiter identificatum cum ipso; in facto verò esse vinculum matrimoniale, quod inde resultat, idque perfectius, cum consummatur matrimonium, quia tunc redditur magis insolubile; atque coniunctio Christi cum Ecclesia est penitus insolubilis. Quod additur de sordibus, & vi inquinatiua actus coniugaliter, non est verum; de sordibus, & iniquatione propria culpæ; quia est actus conformis naturæ, retinetque modum convenientem, quatenus debetur ex vi matrimonij. Continet nihilominus idem actus aliquid sordidi, & inquinamenti, quatenus pro tunc absorbet usum rationis, eumque suspendit omnino, propter exuberantiam libidinis, prouenientem ex peccato originali. Atque in hoc solum posteriori

sensu accipiendus est locus ille Apocalypsis, necnon, quæ Siricius interiecit de nuptiis, earumque usu secundum se. Nempè ex professo solum agit de nuptiis sacrilegis sacerdotum, quibus non conuenit ratio sacramenti.

Ad 7. Dictum iam est vinculum, & statum matrimonialem cum sua permanentia non habere rationem sacramenti propriè, & strictè talis, seu causatiui gratiæ, sed latè solum, & per solam significationem speculatiuam.

Q V Æ S T I O CXI.

Virum mutua sensibilis coniugum traditio, & acceptatio, sint materia, & forma huius sacramenti?

Videntur non esse. 1. Quia mutua traditio, & acceptatio coniugum sub utroque conceptu, habent solum rationem materiæ, solaque verba Sacerdotis, aduentis subinde; *Ego vos coniungo, &c.* habent rationem formæ eodem modo, quo in sacramento poenitentiae habent rationem formæ verba illa: *Ego te absoluo*. Nempè utrobique verba sacerdotis vltimò complent opus; ad quod diriguntur, idque est proprium formæ, uti concludit Melchior Canus.

2. In aliis contractibus id solum habet rationem materiæ, quod traditur, & acceptatur à contrahentibus, ut domus, ager, gemma; rationem verò formæ habent actus tradendi, & acceptandi, quatenus exterius manifestati. Similiter ergo in contractu, & sacramento matrimonij; corpora contrahentium, quæ inuicem traduntur, & acceptantur, habent rationem materiæ; rationem verò formæ voluntas tradendi, & acceptandi simul cum traditione, & acceptance exteriori, ac sensibili. Confirmatur, quia in sacramento Ordinis instrumenta, quæ traduntur ordinando habent rationem materiæ; verba verò, quibus significatur ea traditio, habent rationem solius formæ, ut superius dictum est. Ergo etiam in matrimonio corpora, quæ traduntur, sunt tota materia, & verba, quibus significatur traditio, & acceptatio, sunt tota, & sola forma.

3. Matrimonialis traditio, & acceptatio fit regulariter per sola verba, ut dicit Conc. Florent. in decreto Eugenij. §. *septimum est*. Idem autem Concilium distinguuit vniuersaliter materiam omnium sacramentorum à verbis, cum definit vniuersaliter sacramenta perfici rebus, ut materia; & verbis, ut forma. Ergo sensibilis traditio, & acceptatio non habent rationem materiæ, & formæ simul, sed rationem formæ tantum, siquidem utraque constat solis verbis, saltem regulariter.

4. Id habet rationem formæ in vnoquoque sacramento, quod vltimò complet, ac determinat significationem sacramentalem. Quod verò est magis indifferens ex se respectu eiusdem significationis, habet rationem materiæ. Eiusmodi autem maior indifferentia conuenit consensui interno contrahentium; totamque vim vltimò complendi, ac determinandi significationem obtinent traditio, & acceptatio exterior. Ergo materia huius sacramenti sunt interni contrahentium consensus; forma verò traditio, & acceptatio exterior, ut contendit Martinon post Rebelleum, & Couarruiam, aliosque Iuristas. Confirmatur, quia in Sacramento Poenitentiae eadem ratione actus interni poenitentis habent rationem materiæ, & verba Sacerdotis rationem formæ.

5. Sicut acceptatio potest subsequi traditionem, eamque vltimò complere, ac determinare in ordine ad finem intentum; ita traditio potest vicissim subsequi ad acceptance, eamque similiter vltimò complere;